

## ECLOGA VII

- ite domum pasti, si quis pudor, ite iuueni.
- C. Muscosi fontes et somno mollior herba, 45  
 et quae uos rara uiridis tegit arbutus umbra,  
 solstitium pecori defendite: iam uenit aestas  
 torrida, iam lento turgent in palmite gemmae.
- T. Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis 50  
 semper, et adsidua postes fuligine nigri.  
 hic tantum Boreae curamus frigora quantum  
 aut numerum lupo aut torrentia flumina ripas.
- C. Stant et iuniperi et castaneae hirsutae, 55  
 strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma,  
 omnia nunc rident: at si formosus Alexis  
 montibus his abeat, uideas et flumina sicca.
- T. Aret ager, uitio moriens sitit aëris herba,  
 Liber pampineas inuidit collibus umbras:  
 Phyllidis aduentu nostrae nemus omne uirebit,  
 Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri. 60
- C. Populus Alcidae gratissima, uitis Iaccho,  
 formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebos;  
 Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,  
 nec myrtus uincet corylos, nec laurea Phoebi.
- T. Fraxinus in siluis pulcherrima, pinus in hortis, 65  
 populus in fluuiis, abies in montibus altis:  
 saepius at si me, Lycida formose, reuisas,  
 fraxinus in siluis cedat tibi, pinus in hortis.
- M. Haec memini, et uictum frustra contendere Thyrsin.  
 ex illo Corydon Corydon est tempore nobis. 70

## ECLOGA VIII

PASTORVM Musam Damonis et Alphesiboei,  
 immemor herbarum quos est mirata iuuenca